

oppido præsidia militum , atque incolarum copias ducebat , excipiendum contendit . Superantius cum selectis triremibus octodecim fretum ingressus , munitionemque ( nequicquam hoste tormenta in classem intorquente ) prætervectus , terra manique oppugnationem instituit . Centum ac quinquaginta passus totius munitionis ambitus , quam in quadranguli formam excitarant , complectebatur . Miro artificio , immani crassitudine quernis tignis confecta erat , ea ratione connexis ac colligatis , ut dupli structa ordine , humo aliarumque rerum materia oppleta , sese in planitiem tolleret ; atque inde ad pugnatores tuendos aggeres asligerent : tormentis quaquaversum ad triremes lacesendas dispositis , bellatores ducenti præsidio erant . Postridie , quam eo pervenerant , magno impetu verberatio incipitur . Exinde milites , admotis scalis , ascensum moliri , atque irrumperem conantur . Turcæ , cum impetum diutius sustinere non possent , perturbati ac perterriti dilabuntur , nulloque negotio munitione nostri potiuntur ; potiti , suffossis cuniculis , tormentarioque pulvere infertis , subdito igne , a fundamentis disjiciunt atque excidunt . Decem & octo majora , complura minora tormenta in Venetorum potestatem pervenere . Re feliciter confecta , Ascrivio munito , ingenti cum laude Corcyram Superantius revertitur . In ea oppugnatione Joannes Baptista Quirinus pila ex hostili tormento emissa graviter femur ictus , claudum latus fortitudinis pietatisque in patriam argumentum in reliqua vita ostentavit .

Ceterum ingens solicitude mortales incesserat , quisnam eo anno belli exitus futurus esset , cum summos ex utraque parte apparatus fieri per omnem Europam percrebresceret . Selymus post amissam ad Echinadas classem ( ut sunt inexhaustæ fere gentis vires ) maritimum robur magno conatu instauraverat , ac quadringenta varii generis navigia eo anno Uluzzalii auspiciis emissurus ferebatur , peditatu , atque equitatu copias terrestres auxerat , Creticamque expeditionem suscepturum vulgabatur . Foederati , ut impetum hostis sustinerent , atque aliiquid superiori victoria haud indignum aggredierentur , de classis & copiarum incremento Romæ agitabant , idque erat omnium consilium , ut res trecentis triremibus , militum sexaginta milibus gererentur ; quacumque ratione Cæsar , Galliæ , ac Sarmatiæ

1573  
Jacobus  
Superantius  
Varbagnum  
oppugnat.

Varbagnum  
a Superan-  
tio caprum  
& dirutum.

Turcarum  
bellici ap-  
paratus.

Fœderatorum  
de bello in-  
staurant  
confilia.